



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Tentationibus varijs diuersorum vitiorum quânam resistendum, quomodo
item ex eis meritum colligere liceat. Can. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

litas hominum mouit, vbi atteadi, quam ipse Deo meo infidelis fuerim: aliquid genus plurima cogitabis, quæ hic exercitij gratia assumi poterunt, quæ quisque, vt Dominus dederit, extendere debet.

Gratiæ quomodo & pro quibus sint Deo agenda.

CANON IV.

Gratiarum actio in peccatis & lapsibus aliorum.

PRO bonis etiam omnibus quæ vnquam præstiti, & etiamnum præsto tibi o anima fidelis ex tota voluntate gratias mihi & laudes referas: maxime vbi diceris vel audieris aliquos in peccata, siue pericula incidisse, dicique: *Benedicite Deo meo, & gratias ago tibi, quod me ab huiusmodi casu præseruasti. Aut si quandoque in simili lapsa sui, quod gratiam tuam nullis meis meritis mihi restituisti, quodque cognitionem mihi præstisti vt meos erratus confiteri & corrigere meam vitam possem. Vnde satis adducor vt sperem ea te mihi misericorditer remississe. Sic & ex omnibus vndeconque occurrentibus laudem aliquam meam elicere curabis, eamque ex omnium virium tuarum facultate mihi offeres. Quod diligenter obseruatum, puto satis te seruabit custodietque, vt non facile ad murmurandum vel temere iudicandum proximos tuos erumpas, quantumlibet ab illis iniuria afficiaris.*

Semper etiam ob oculos verfabis purissimæ mez humanitatis exemplar, attentam mente reuoluens, quam ego taciturnus inter homines vixerim & cõuersatus sum: permittens me ab omnibus contemni & iudicari, spernens ipse neminem. Cùm ergo ad defendendum te, seu satisfaciendum pro te aduersus ea, quæ tibi eueniunt ac inferuntur mala, sensibusque contraria & molesta, incitaris atque tentaris, exercitij loco in mente habebis, ac sedula cogitatione ruminabis, vt ego Dominus Deus tuus me ipsum instar ouis ac agni ad occisionem duci permiserim nec aperuerim os meum ad defendendum me, sed sponte obuiam præcesserim inimicis meis.

In paupertate quid cogitandum.

Hic. 12.

Præterea, si rebus omnibus nuderis, & ad extremam redigaris rerum inopiam, cogita me Dominum DEVM tuum, & domum & hereditatem meam reliquisse, & dilectam animam meam in manus tradidisse hostium meorum, qui sine misericordia insurgentes in me, non pepercerunt animæ mez: Dic ergo: *O Domine DEVS meus, da mihi hanc gratiam tuam, vt in similibus sequar te pro virili mea. Omnia namque bona tua sunt & tibi gratias ago, seq. laudo, quod mihi donasti hac temporaria bona pro necessitate vite mea & iterum ea abstulisti. Sicut tibi placuit ita factum est, suu nomen Domini benedictum.*

Tentationibus variis diuersorum vitiorum quinam resistendum, quomodo item ex eis meritum colligere liceat.

CANON V.

In tentationibus quid agendum.

ADuerte & disce insuper o anima deuota exercitium aduersus quasunque tentationes. Cùm alicuius peccati te tentatio pulsat siue in cogitatione, siue in sensu, seu sentimento, cum aliqua tui ad illud propensione, euestigiò affuesces mature te ipsam ad me conuertere, priusquam locum in te accipiat: ipsamque tentationem in infimo homine quasi dissimulando, seu non attendendo, nihilque incho-

inde cogitando, nihil discutiendo, nihil denique illi immorando relinque. Et ita sponte tentatio peribit, & tu victrix euades: quoties autem tentatio ipsa redierit, te leuato rursus ad me DEVM tuum, eamq; velut contemptam in se sponte interire sinas, vtens ea tanquam excitemento quodam, ad excutiendum somnum corporis & ignauitatis, quæ diabolo copiam fecerat, te tali tentatione pulsandi. Et ideo quamlibet fœda & detestanda videatur esse tentatio, noli turbari admodum, nec animo deiici, sed cogita semper, tuo id vel negligentia, vel vitio accidisse, vt Deus permiserit te vexari vel ob tuam superbiam, aut somnolentiam, aut negligentiam tuam, quo per ipsam humiliaris, penitusque vilitatem propriam, nihil posse tuum agnoscas, sedulo etiam noctu diuq; stes super custodiam tuam: memor verborum illorum, quæ ego Dominus in horto protuli: *Vigilate & orate*, Matt. 26
vt non intretis in tentationem. Nec abs re: Malignus enim spiritus, & improba corruptaq; natura tua semper adest tibi. Sed quia sapius in his negligitis vos ipsos ad dormitatis, tentationem aliquam ad excitandas vos commonendasq; ego DEVS vester vobis occurrere permitto, quasi dicere vobisq; insinuare vellem. Videte o animæ deuotæ, quam ruinæ propinquæ sitis, & meam, si sapitis, opem flagitate. *Satanas enim expetit vos vt cribreri: sicut triticum, ego autem Patrem meum cœlestem rogamus pro vobis, vt olim Apostolo meo Petro prædixi. Quamlibet ergo anima ob oculos sibi proponat cogiterque diabolo omnem virtutem illius Dominum eripuisse, modo super custodiam suam illa stare velit, sicut ipse ore meo testatus sum. Confidite, inquit, ego vici mundum. Sicq; animam sumatis masculinum in me DEO vestro, in timore pariter & amore meo iugiter perseverantes.* Luc. 22
 loan. 16

Quod si o anima deuota, superbia te molestat, ad meam humilitatem confugito dicens: *Confiteor culpam meam Domine, quod necdum quantum opus est, humilis sim. Sed queso Domine largire mihi gratiam tuam, vt deinceps profundiori humilitate, & humiliori mente tibi seruiam: teq; in hac parte sequar pro viribus, quando tu Domine Deus meus te ipsum vsque ad mortem humiliasti, & humilitatis fundum fuisti.* Superbia impugnati oratio.

Si per vanam gloriam impugnaris sic cogitato: *Domine, mea vtique culpa est, quod tuam honorem, laudem & gloriam non purè quesui in omnibus, nec in te omnem honorem & laudem refudi: cum tamen tibi soli ea debeantur.* Vana gloria

Si luxuria te vexat, fugiens ad me DEVM tuum, sic intus alloquere. *Viribus Luxuria, quidem meis, Domine, hanc scdam & periculosam tentationem vincere non sufficio, nisi in opem mihi seras. Quamobrem obnixè te rogo, dona mihi gratiam tuam DEVS meus, vt tibi munda mente & corpore seruiam. Cor mundum crea in me DEVS, & spirium rectum in noua in visceribus meis. Obsecro etiam Domine miserere infirmorum Psa. 50 omnium, qui tentationibus variis laborant, aut etiam succumbunt, & veram illis cognitionem infunde. Bonos omnes confirma, vt perseverent, lapsos erige, vt resurgant. Atque his & huiusmodi verbis ignitis, in me Deum omnem, trahas tentationem, cogitans, vt iam antedictum est, non esse nisi commonitionem quandam excitantem, vt ad me Deum tuum te vertas.*

Si ira te infestat, dicito sic: *Est fateor Domine culpa mea, quod necdum satis sum. Sed oro te, da mihi mansuetudinis virtutem cuius me adhuc expertem agnosco.* Ira.

Si odio & inuidia torqueris, dicito: *Est plane Domine culpa mea, quod non satis me in odio & inuidia.*

me in tui & proximi dilectione exerceo, nec quantas deberem, gratias tibi refero, pro suavissimo illo verbo, quod dixisti per Prophetam tuum. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te mihi miserans tui.

Hac denique ratione, & in ceteris quibuslibet virtutis ac vitiosis impugnationibus sapienti quodam & suavi remedio per Spiritum sanctum potius, quam per naturam violentiam discas antiqui hostis conatus frangere, eiusque insidias eludere, omni tempore considerans teipsum in limpidissimo speculo virtutum mearum, quam videlicet similis, quamve dissimilis mihi existas. Nam in singulis motibus in hoc viuo libro studere debes & attendere, quomodo in talibus meipsum habuisse credar, nepe modo perfectissimo. Hic liber potissime seruit ideotis hominibus alioqui indoctis, qui si diligenter in eo studuerint, doctos quosque longo ad Deum prouenient intervallo.

Loqui quonam pacto, quando, ubi ve liceat.

CANON VI.

Quam caute loquendum
Perpetua tibi etiam consideratione manendum est in obseruatione tui ipsius hoc est, interioris hominis, vt primum verba tua penses, que loqui vis, Deumque in conscientia tua interroges, an tibi licentiam loquendi permittat, & ante ipsum in hoc quaeras, aut hominibus placere velis. Hic magna diligentia opus est, donec in consuetudinem veritas certius dinoscere, quod in omnibus verbis tuis nihil aliud quaeras, quam pure Dei gloriam; & proximi tui salutem. Ita enim agere curabis cum omnibus cogitationibus, & operibus tuis. Quod si quandoque improvide loquendo in verbis offenderis, ad teipsam mox rediens, tuam conscientiam interroga, num haec verba pure ad laudem Dei protuleris, nec ne. Et statim ipsa conscientia te securam reddet, aut arguet. At vero quoties inter loquendum senseris te non pure Deum quaerere, statim obmutesce, satius reputans coram hominibus erubescere, quam Deum offendere. Nihilominus si otiosa illa & noxia verba caute & sapienter corrigere potueris, laudandum est. Porro cum sensim huic exercitio assuesactus fueris, statim breuissima inuersione clare dinoscet, quid loquendum tibi fuerit, quidquid tacendum; libertate manebis in conscientia. Sed oportet te semper ad diuinum recurrere auxilium, siue quo nihil potes mentaliter hoc aliove modo. O Domine, da mihi sapientiam, vt sciam, quid loqui siue respondere debeam ad ea, qua mihi dicuntur, siue proponuntur. Haec ars bene obrenta, multa bona adducet tibi pacemque internam cordis docebit te ad pisci atque possidere.

Exterioris hominis custodiae mortificationique sensualitatis ac passionum quatenus inuigilandum.

CANON VII.

Cum iam o anima fidelis eousque profeceris, vt internam cum DEO pacem sentire, & in Deo quiescere incipias, magno opere tibi necessarium est, vt exterioris hominis tui custodia & mortificationi, gubernationique in omnibus suis moribus & prauis inclinationibus (quae corruptae naturae tuae nimis profundè infixae manent, & necdum extinctae sunt) summa diligentia inuigiles, si ad aptam pacem tuam internam conseruare velis. Non enim minor est virtus parta tueri, quam parere.